TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

QUAEDAM DE

HYDROPE

COMLECTENS.

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

QUÆDAM DE

HYDROPE

COMPLECTENS;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS *RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS*,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS SWABY,

JAMAICENSIS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXII.

VIRO PERITISSIMO

GULIELMO HEY, ARMIGERO,

SOCIET. REG. CHIRURG. LONDIN. SOCIO,

E CHIRURGIS NOSOCOMII LEEDENSIS,

&c. &c. &c.

HOCCE TENTAMEN

OB PRAECEPTA ET BENEFICIA,

GRATUS

DICAT CONSECRATQUE

DISCIPULUS

AUCTOR.

VIRO CARISSIMO

THOMAE OXLEY, ARMIGERO,

SOCIET. REG. CHIRURG. LONDIN. SOCIO,

&c. &c. &c.

MEDENDI ARTEM

APUD PONTEFRACT IN COMITATU EBORACI

EXCERCENTI,

HANC DISPUTATIONEM

PERTENUE AMICITIAE INDICIUM

SACRUM VULT

AUCTOR.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

QUAEDAM DE

HYDROPE COMPLECTENS.

AUCTORE GEORGIO SWABY.

HYDROPS, quia saepe aliis morbis supervenit, ideoque corpus longa valetudine confectum debile et praelio impar invadit, plurimos extinguit.

Vix ulla pars corporis immunitatem hujus mali habet; et si semel alicui parti insedit, fere vicinas quoque implicat et per totum corpus tendit. Species ejus plerumque ex morbi sede ponuntur; at multa suadent plures mali varietates esse, quam quae a sedis diversitate pendent; de his autem haud ita multum pro comperto habitum est. At-

tentionem igitur medicorum hoc malum optimo jure meretur—peritiorum, quo perfectiorem ejus notitiam praestent—juniorum, quo id, quod jam de morbo tam periculoso compertum est, penitus noverint. Cogitanti igitur quem morbum diligerem, de quo in tentamine meo inaugurali scriberem, Hydrops mihi non alienus videbatur. De Hydrope autem generali potius quam de una tantum mali specie tractare mecum constitui, eò quod curatio (ad quam in morbo cognoscendo maximè spectare oportet) non tam a sede mali quam a natura et causa ejusdem pendet; necnon quia Hydrops rarius in una tantum corporis parte conspicitur.

In animo est, igitur, principio de morbi historia dicere, in qua tum indicia mali communia, tum tribus praecipuis speciebus propria breviter expositurus sum, necnon de rebus, in quibus morbus maxime incidit, pauca subjiciam. Deinde de causis agam. De diagnosi non consilium est quidquam dicere, quippe quae melius exponatur, ubi

de singulis morbi speciebus sermo est. De prognosi breviter ordine loquar—Interemptorum hoc morbo incisio tam varia in conspectum dat, ut omnia vix multis voluminibus comprehendantur, quocirca hanc rem omnino omittam. Postremo de medendi ratione acturus sum in qua parte tantum curationis et morbo communis et speciebus propriae amplectar, quantum in tam parvo volumine contineatur.

DE MORBI HISTORIA.

Indicia, quae omnibus hujus morbi speciebus communia, haud ita multa sunt. Eorum maxima pars, quae aegrotantem vexant, ex visceribus sedi morbi vicinis compressis et se male habentibus oriuntur. Sitis tamen pene omni mali formae communis est, qua plerumque nihil magis miserum torquet. Per omnia quidem saecula hydropicorum sitis quasi in proverbium cessit. Urina imminuta quoque rubra et aliena continens

commune Hydropi indicium est. Cavum, in quo aqua colligitur, tumet, et plerumque pedum oedema est. Anasarcae propria sunt tumor summum corpus occupans, qui pressus non statim resilit: hic fere in artubus inferioribus incipit et sensim tendit sursum, nocte tamen, nisi aeger se lecto continet, major quam interdiu in pedibus est, et mane facies, manus, aliaeque partes superiores magis solito tument. Bullae interdum oriuntur, e quibus ruptis humor effunditur. Hydrothoracem urgere aucta nonnunquam moles lateris, a quo cumulatur aqua, decubitus in latus sanum difficilis, dyspnoea, tussis sicca, facies initio pallida versus finem livida, palpitatio, somnia dira, somnus cum terrore sponte interruptus, aqua in pectore fluctuans, testantur.

In ascite abdomen tumescit, et pressum parùm resilit, aeger dyspnoea laborat, respirationem maxime per costas perficit, torminibus exercetur, ventriculus male se habet.

In omnibus regionibus Hydrops incidit; nullàe aetati, nulli sexui parcit, et per omnia saecula post hominum memoriam corpora infestavit. Attamen in regionibus humidis, humilibusque vallibus vulgatior est; tum quòd id genus temperamenti, quod Hydropi proclivitatem dat, in his locis pluribus hominibus insitum est, tum quòd quidam morbi, qui saepenumero in Hydropem desinunt, eorundem incolas plurimum exercent. Incolae autem quorundam locorum, in quibus nil insalubre est, huic malo, nulla causa evidente, procliviores sunt: et quod mirum est, alia morbi forma in aliis ejusdem regionis partibus saepius fatigat. Huic morbo opportuniores sunt homines quorum corpora humida sunt, et plerumque feminae prae viris. Eos quoque frequentius invadit, quibus magna infirmitas, quibus ingens obesitas est, et quorum constitutio corporis a quacunque causa plurimum fracta est.

Morbos exanthematici generis, scarlati-

nam potissimum, Hydrops saepenumero sequitur. Diuturna sanguinis profluvia saepe in eundem desinunt. Et febres intermittentes, phthisis pulmonalis et alii morbi, quotquot corpus valde debilitent, saepissimè Hydropem antecedunt.

Quum corporis constitutio, quae huic morbo proclivitatem creat, saepe parentibus liberis tradatur, inter mala haereditaria a quibusdam auctoribus recensetur. Hujus rei fides populo in pluribus regionibus esse videtur, cui quaedam superstitiosè facere mos est, ne morbus alicujus Hydrope interempti liberis ejus descendat. Apud antiquos, aliquo ex Hydrope mortuo, liberi ejus, dum corpus igne consumeretur, pedes suos in aqua immersos tenuerunt, credentes morbum parentis ita a se aversum iri : et quibusdam recentioribus Europaeis persuasum est Hydropem, qui morte finitus, proli iri transmissum, ni omnis aqua e cadavere emissa fuerit.*

* Vide BLACKALL on Dropsy.

DE MORBI CAUSIS.

De causa proxima non ausim loqui, quippe cujus notio generalis aliter apud alios medicos accipiatur: de iis quae proclivitatem Hydropi efficiunt, satis dixi quum de morbi historia agebatur; quocirca protinus ad quaedam breviter exponenda de causis, quae morbum excitant, transibo. Nemo est qui ignoret halitum assidue, vivente homine, in omnia cava clausa corporis per vasa exhalantia effundi; quo hae partes humescant et ita melius functionibus propriis aptentur, et humorem ita effusum, cum jam munus suum praestiterit, per alterum vasorum genus, resorbentia nimirum avehi et iterum in sanguinem pervenire. Hoc opus mirabile rerum parens ita perfecit, ut aequilibrium, sano corpore, sit inter humorem exhalatum, et eum qui resorbetur, ne coacervatio ejus in ullo cavo fiat, impediatque idoneas corpo-

ris actiones. At si vitium in actione horum vasorum ortum est, et aut exhalantia plus justo effundunt, aut resorbentia minus avehunt, necesse est ut coacervatio humoris fiat, utque Hydrops corpus premat. Causa generalis igitur, quae Hydropem excitat, est actio vasorum exhalantium aut resorbentium vitiata. Hujusmodi vitium variis morbis affertur. Ex causis quaedam evidentes sunt; et malum concitant alias partes primum vitiando, quarum conditio male sana invicem actionem exhalantium aut resorbentium perturbat, impeditque. Pars in oculto effectum praestant, et vasa, de quibus agitur, afficiunt aliquo modo, qui non adhuc comperitur.

Causae, quae evidentes sunt, plerumque vitium in sanguinis circuitu creant, unde vasorum exhalantium nimia actio oritur. Plenitudo sanguinis videtur nonnunquam Hydropem afferre. Hoc apparet primum ex eo quod Hydrops per sanguinis detractionem, nulla alia re juvante, sanetur, quòdque malum interdum plane oriatur ex sanguinis

profusione solita suppressa. Sanguinis inopia quoque, saepenumero morbum hydropicum praebet; quod credere licet, quia haud raro initium trahit ex magna sanguinis jactura, sive ea sponte sive arte facta est. Nimia quoque seri in sanguine abundantia, morbum, de quo agitur, afferre videtur : nil dubium est saltem majorem justo seri copiam, in sanguine e venis detracto, Hydrope urgente, saepissime conspici. Ut hoc vitium sanguinis morbi effectus sit, non causa, plane fieri potest. At, quoniam aër humidus, victus aquosus parum nutriens et jactura ingens sanguinis cum copiam seri semper augent, tum aliquando Hydropem inducunt, adducimur ut credamus hunc morbum ab hâc causâ oriri posse. Porro experimenta a celeberrimis medicis instituta ostendunt Hydropem posse in brutis animalibus creari, ea cogendo ingentem aquae copiam bibere aut humorem in venas infundendo.* Multa exempla quidem traduntur,

* Vide "Dictionaire des Sciences Médicales" ubi de Hydrope agitur.

in quibus homines incredibilem humoris quantitatem eodem die impune biberunt, at animadvertendum est in his omnibus, quantum scio, corpus multo vehementius solito exercitum esse, unde omnes actiones corporis pro rata parte augerentur et humor ita celerius dissiparetur: nec dubito quin, si aliquis ingentem copiam aquae bibat, quieto corpore, Hydrops in eo afferatur non secus atque in animalibus de quibus supra dictum est.

Si justus sanguinus motus ullo modo plurimum impeditur, Hydrops incidit. Hydropem ex hac causa oriendum quotidie conspicere licet: pene omnibus enim cordis vasorumque magnorum morbis Hydrops tandem jungit se comitem. Si hae partes aneurismate laborant, si amplificantur, si ulla parte in os vertuntur, et praeterea, si venae magnae ullo modo comprimuntur, ita ut justus sanguinis motus impediatur, Hydrops plerumque cito invadit.

Non ita perspicuum est qua ratione Hydrops saepe accidat, si corpus frigido aëri

calefactum objectum est aut si aqua frigida magna quantitate, corpore calente, assumpta.

Neque prorsus patet quare Hydrops tam crebro pro causa agnoscat organorum, quae in abdomine sunt, varii generis vitia, sicut, hepatis, ovariorum, splenis—quando hepar per magnam ejus substantiae partem durescit, satis constat Hydropem ex venae portae et cavarum hepaticarum compressione nasci. At non raro fit, hepate aut alio viscere justo molliori, ut aquae cumulentur. Hujus rei rationem adhuc deesse credo; nam earum quae vulgo in libris ponuntur nulla mihi digna videtur quae pro vera ratione accipiatur. Hydropis quoque hydatidosi, ni fallor, vera ratio adhuc in occulto est.

DE PROGNOSI.

Hydrops plerumque morbus periculosus est, et saepius qui in eum incidant, tollit. Aliquando sanitas ex hoc morbo aliquoties

redit, attamen mortem tandem secum affert. Periculi magnitudo multum pendet a causa morbi et a corporis conditione qua Hydropicus utatur. Sanitatis spes est, si aegrotans non aetate confectus est si, corporis constitutio non aliquo modo prius fracta est, si neque cor neque ullum viscus laborat, si febris non est, si dyspnoea parum exercet, si aqua tantummodo inter cutem est, aut saltem non per totum corpus effunditur. Contra si aeger annis provectior, si corpus intemperantia aut quacunque alia causa multum fractum est, si vitium cordis aut alicujus visceris, si febris magna urget, si sitis ingens, si dyspnoea plurimum torquet, si aqua non inter cutem modo, sed simul in cavis corporis praecipuis cumulatur, si miser prius morbo fatigatus est, morbus pro tempore quidem sublevari, at vix tolli potest.

DE MEDENDI RATIONE.

Consilia medendi quae, ut morbus in sanitatem mutetur, absolvenda sunt, tria plerumque proponuntur.—Imprimis necesse est ut causae, quae malum praestant, submoveantur, aut evitentur: deinde ut aquae tollantur, postremo ut praecaveatur ne iterum cumulentur.

Ad peragendum primum consilium in singulis morbi exemplis plane opus est, ut ad causas, quae quodque excitaverint, spectemus. Plurimae quidem causae Hydropis sunt, quae submoveri non possunt: in his sanitas non speranda est, quanquam malum plurimum per medicinam sublevari et dies mortis prorogari potest. De ceteris remediis quae ad submovendas singulas Hydropis causas proponuntur nihil in animo est dicere: de sanguinis detractione, quippe nuper magnam sibi laudem in hoc morbo apud medicos quosdam traxerit, breviter disserere

haud alienum judico. Sanguinis detractio in hoc morbo non novum prorsus remedium est: antiqui etiam nonnunquam et, ut videtur, cum multo profectu, ad id confugerunt. Recentiores quoque diu soliti sunt, in quibusdam exemplis, Hydropem per sanguinis missionem curare. At ab utrisque rarius abhibitum est quam a quibusdam hodiernis qui judicant multo saepius locum huic remedio, ac antea credebatur. Si Hydrops pendet a sanguinis plenitudine, et ex haemorrhoidibus suppressis, ex menstruis non solito more prorumpentibus, aut alia sanguinis profusione solita prohibita, cito subitoque invadit, venaesectio plane convenit et fere semper in iis exemplis a medicis laudata est. Qui saepius sanguinis missionem in Hydrope praecipiunt, ii credunt inflammationem alicujus internae partis crebro subesse et affirmant albumen, quod in urina aliquando inventum est, hujusmodi inflammationem testari. Si igitur opiniones horum medicorum sequi volumus, oportet urinam Hydrope laboran-

tis calori objicere aut in eam acida infundere, et quoties albumen detegitur per alterutrum modum, venaesectioni locum esse judicare licet. Alia sunt indicia praeterea quae fidem faciant inflammationem adesse, sicut dolor ingens, impedita functio partis affectae, pulsus durus, et si sanguis jam emissus est, crusta coriacea in ejus superficie.* Alia remedia contra morbum et praesertim medicamenta diuretica melius respondere dicuntur, postquam sanguis missus est.

Secundum consilium sive id, quo aquae tollantur, duobus modis perfici potest, sive medicamentis sive manu. Omnia medicamenta quae ad hanc rem conferunt, id agunt ut actio vasorum resorbentium augeatur, aut ut minus humoris per vasa exhalantia effundatur. Medicamenta quae plerumque prosunt, sunt ea quae urinam movent, quae alvum solvunt, quae sudorem eliciunt, quaeque vo-

---

* De hac re vide " BLACKHALL on Dropsy; Edinburgh Medical and Surgical Journal; COMPTON's Cases at the Dublin Hospital.

mitum excitant. His accedit frictio et fasciae. Profectus medicamentorum hujusmodi, quae excretiones corporis augent, quodammodo ex ea lege animalis machinae explicatur, qua quoties secretio alius organi augetur, ea alicujus alius quae respondet, imminuitur pro eo ut illa increvit, et invicem si secretio organi praeter naturam imminuitur.

De Diureticis.—Ex medicamentis, quae jam posui, diuretica longe primum locum sibi vindicant. Diuretica aliis remediis in hoc morbo plerumque anteponenda sunt, quia saepius quam ulla alia sanitatem reddunt; dein quia neque aegrotantem multum fatigant, neque corpus debilitant. Plerumque tamen creditur melius anasarcae aut hydrothoraci quam ascitae convenire; in ascite enim aquarum pressura dicitur prohibere ne renes ritè suum officium praestent. Hujus generis medicamenta quam plurima sunt; et alia aliis hominibus melius respondent. Si scilla maritima aut digitalis pur-

purea praecipiatur, cavendumest ne vomitum creent; nam si vomitum semel moverunt non iterum aegro dari possunt.

Scillae maritimae profectus saepe multum augetur eam cum hydrargyro conjungendo. Ad hanc rem aut submurias hydrargyri pillulis scilliticis adjici aut pilulae hydrargyri simul cum iisdem sumi possunt. Digitalis purpurea interdum cum scilla conjuncta plurimum prodest; non desunt autem qui affirmant alienum esse haec diuretica simul praecipere.* Tinctura digitalis, cui aether nitrosus adjectus est, saepe multum prodest, quum duo simul eundem effectum petunt, et aether praeterea ventriculo admodum est gratus. Actioni digitalis corpus cito assuefit, unde necesse est ut quantitas ejus assumpta sensim augeatur. Multi laboris esset opus omnia diuretica percurrere, et de singulis dicere; quare sat erit dixisse inter omnia adhibenda oportere corpus frigidulum

* Vide Paris Pharmacologia.

tenere, et liquoribus diluentibus uti. Praeter ea de quibus mentio jam facta est, praecipua sunt juniperus communis, colchicum autumnale, nitras potassae, tartras potassae, acetas potassae, sulphas potassae, et multa alia.

De Catharticis.--Medicamenta quae alvum solvunt saepe aquas hydropicas avehunt; ea praesertim, quae magnam humoris copiam dejiciunt. Eorum praestantissima sunt, jalapa, pulvis jalapae compositus, gambogia, scammonia, cucumis colocynthis, momordica elaterium, submurias hydrargyri, aliaque, quae, aut per se, aut cum aliis conjuncta saepe salutaria sunt. Quoniam alvus diu soluta multum debilitat corpus, haec via medendi non convenit, nisi aut diuretica parum proficiunt aut corpus robustum est.

De Sudorem Moventibus.—Si diureticorum aut catharticorum usus parum procedit, ad sudorifica confugere licet—Pulvis ipecacuanhae compositus, tinctura opii cum vino

antimoniali et alia similia laudata sunt, et aliquando admodum utilia sunt.

De Emeticis.—Vomitus sponte incidens, hoc morbo urgente, saepe prodest et aquas imminuit; et emetica olim laudem sanitatis saepe reddendae retulerunt; raro, autem, hodie praecipiuntur nisi eo consilio ut nauseam moveant, quae saepe humoris fluxum per cutem, per alvum perque renes simul excitat.

De Frictione et Fasciis.—Frictio, aqua inter cutem urgente, saepenumero tumorem discutit, ideoque si aegri vires patiuntur, assidua esse debet.

Fasciae quoque circa membra Hydrope implicita circumvolutae nonnunquam tumorem cohibent; at vix iis confidendum est.

Supra dictum est aquas Hydropicas quoque manu submoveri posse, de hac parte

curationis quam brevissime dicam. Emissio aquarum ferro raro Hydropem tollit, quanquam saepe medelae per medicamenta locum facit; et etiam, ubi nulla sanitatis spes est, cruciatus aegro multum sublevat pro tempore. Plagae autem quae in membris, anasarca urgente, factae sunt, ut aqua ferretur, nonnunquam vix sanescunt et in gangraenam degenerant. Si aquae ex abdomine emissae sunt, multo citius quam ante coacervantur, ita ut plerumque necesse sit eas multototies in eodem misero submovere. Paracentesis thoracis raro aegrum multum juvat, quamobrem rarius peragitur. Si aeger unquam prius pneumonia laboravit cavendum est ne incidatur ubi dolor tunc esset, ne ex adhaesione ibi inter pleuram pulmonalem et costalem forte facta, pulmo vulneretur.

Cum aquae submotae sunt, proximum est ut earum reditus prohibeatur. Opus est igitur summa cura causas morbi evitare et id agere ut robur corpori exhausto debi-

lique redeat. Victus nutriens, quantum ventriculus facile concoquere possit, vinum modica quantitate, amara aliaque medicamenta roborantia sunt praecipienda. Amara quidem saepe diureticis adjiciuntur cum insigni utilitate : et si neque febris vehemens neque pulsus durus aut alia inflammationis signa adsunt, victus nutriens, etiam morbo perstante, concedendus. Corporis exercitatio si fieri potest, tum plurimum ad aquarum discutionem tum ad reditum earum prohibendum confert. Periculosum autem ea vehementiori uti ; nam exempla traduntur ubi Hydropici ex exercitatione ingenti subito vitam dederunt. Cum corporis exercitatione frictio aut cum panno laneo ex oleo expresso, aut cum strigili peracta annumerari debet, quae cutis halitum eliciendo haud magis accomodatur ad aquam discutiendam quam ad impediendum ne iterum cumuletur. Item fasciae non omittendae sunt, quae sustinendo parietes cavi in quo aquae erant, reditum prohibent. Ad hanc rem quoque lavatio frigida, corpus fir-

mando contulisse dicitur. Postremo, per longum tempus post sanitatem ex hoc morbo redditam, imo per totam vitam venturam nihil praetermittendum quod aut causas morbi fuget, aut majorem corpori firmitatem adjiciat, namque, qui semel eo implicitus est, saepenumero iterum atque iterum illum petit, donec tandem victus succumbit.

FINIS.